

# RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS FUNUS GEORGGII MOEBII,

S. S. Theologiæ Doctoris , Facultatis Theologiæ Senioris & Professoris Publici Primarii, Ingenuæ Cathedralis Ecclesiæ Misnenensis Canonici & Thesaurarii, Alumnorum Electoralium Ephori, Academiae Decemviri, & nunc Præpositi Collegii Paulini Theologi meritissimi

*Hodie III. Decembr. M. DC. XCVII, hora I.*

**Solenni more deducendum  
indicit,**





Um Ecclesia Christi in his terris militans annum suum sa-  
crum finit, & novum inchoat, Theologus veteranus hujus Academiae D. Ge-  
orgius Moebius, Professor Publicus Primarius, Facultatis Theologicae Senior,  
Ingenuae Cathedralis Ecclesiae Misenenfis Canonicus & Thesaurarius, Acade-  
miae Decemvir, Collegii Paulini nunc Praepositus, Alumnorum Electoralium  
Ephorus vitam hanc suam claudit, & novam in Triumphante Ecclesia cale-  
stem illam orditur. Illa Jesum Regem suum humilem quamvis, magno ap-  
plausu tamen excipit, exclamans, Hosanna Filio David, benedictus qui venit  
in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Hic ad Jesum Regem exaltatum  
& ad dextram majestatis DEI sedentem eductus, cum viginti quatuor senioribus & turba multa in caelo  
canit, canendo repetit, repetendo non cessat canere, Halleluja, Salus, Honor, & Gloria & Virtus DEO  
sedenti super throno & Agno; Apocalypf. V. VII. XIX. Quam multa vero prius fecerit, tulerit, sudaverit  
& alserit, quam supremam beatitudinem eam adeptus est, ex vitae mortisque historia constat. Natus  
est Lauchae in Thuringia oppido, ut ex reliquis post belli Germanici immanitatem aedibus, Templo, curia  
aliisque paucis cognoscitur eleganti quondam, Anno Christi M. DC. XVI. die XVIII. Decembr. hor.  
VIII. vespertina. Patrem habuit Martinum Moebium Consulem Seniore, qui Anno M. DC. LXVII.  
die XXX. Januarii defunctus annum vitae LXXXVII. septimanis XI. & diebus III. excefferat; Matrem  
autem optimam foeminam, MARIAM, Johannis Jenischii, Senatoris filiam, quae Anno Christi  
M. DC. XXVII. die IV. Aprilis diem suum obiit. Puer in Scholam patriam traditus fundamenta religi-  
onis, & Latinae Graecaeque Linguae didicit. A Patre rei Oeconomicae destinatus erat, quod filios quatuor  
ante ipsum natos studiis deditos aleret, Martinum, Michaellem, Tobiam, Godofredum. Primus in  
Schola Roslebiensi immaturo fato decessit: Secundus Philosophiae Magister, Pastor & Praepositus Lissae  
prope Naumburgum Anno M. DC. LXXIII. vitae finem fecit; Tertius Juris utriusque Doctor & Facul-  
tatis Juridicae in hac Academia Assessor Senior, quem novimus, fuit: Quartus Medicinae Doctor, Profes-  
sor Publ. in Academia Jenensi, Archiater Electoralis Brandenburgicus, & Ducis Saxoniae Augusti, Ad-  
ministratores Archiepiscopatus Magdeburgici, Anno M. DC. LXIV. morti occubuit. Sed divina pro-  
videntia natu minimum fratrum super majores extollere, atque Consulem oppidanum Filiorum quatuor  
in singulis Facultatibus Doctorum Patrem facere constituerat. Rem ergo ita orsa est: Venerant ad il-  
lum viri aliquot Senatus ex oppido Micheln, quod uno millari Laucha abest, negotii alicujus causa: hi,  
ut invitati erant, una prandentes narraverunt puerum alumpum, quem in Scholam provincialem Por-  
tensem misissent, ob improbitatem suam ejectum atque exclusum esse, nullum alium autem in praesenti  
in Schola oppidi sui reperiri idoneum, quem in locum ejus commendarent; simulque interrogaverunt,  
quid faciendum videretur, ne jure praesentandi alumnum forte exciderent. Quibus auditis Pater ani-  
mo repente mutato petiit, ut jure civitatis suae commodato Lauchae filium hunc suum natu postremum  
Scholae praesentarent. Illi prompti annuebant, audiente haec omnia, qui mensae adstabat, puero. Hic  
ergo Scholam Anno Christi M. DC. XXXII. die XIV. Maji ingressus ex institutione Praeceptorum dex-  
terrimorum M. Eliae Ehingeri, Rectoris, M. Kaulvellii Pastoris, M. Kunadi tunc Conrectoris, post The-  
ologiae Doctoris & Professoris Witebergensis, M. Kuhnii Collegae Tertii, tandem Rectoris, per quin-  
quennium in linguis & humanitate ita profecit, ut Anno M. DC. XXXVII. valedicenti testimonium illi  
scribentes, haut vane sibi pollicerentur, & sperarent, fore, ut iste surculus in Seminario ad Salae proflu-  
entem educatus, DEO juvante, arbor fertilis evaderet, cujus fructibus aliquando multi Christianorum  
delectarentur. Eodem Anno ad majorem ingenii cultum capeffendum Academiam ad Salam adiit,  
quatuor in ea annis studiis operam daturus. Audivit Philosophos accuratissimos M. Danielem Stahl-  
um, M. Joh. Dilherrum, M. Zeisoldum, Paulum Schlevogtum, disputavit Dilherro praeside de Locis  
quibusdam obscurioribus sacris ex Philogogia eruendis, quae Disputatio inter Dilherrianas conjunctim  
impressas Tomo II. invenitur, & praesidente Stalio de Consequencia a particulari ad universale. Ma-  
gister Philosophiae anno M. DC. XL. die XI. Febr. renunciatus est. Theologis celeberrimis D. Johan-  
ni Ger-

ni Gerardo Epistolam ad Hebræos explicanti, & Disputationes Isagogicas habenti, quibus mense Augusto Anno M. DC. XXXVII. immortuus est, D. Salomoni Glassio ejus successor, D. Joh. Himmelio auditor affedit. Anno M. DC. XLI. die IV. Junii Jenam relinquens, hanc nostram die XXI. salutavit: hospitem D. Ananiam Weberum Theolog. Professore Publ. sibi elegit, hujusque, ut & D. Henrici Höpfneri, Scholas publicas, Hieronymi Kromayeri, privatas frequentavit. Anno M. DC. XLIII. die VI. Julii cum aliis XI. Candidatis primo in Theologiæ Gradu publice ornatus fuit; duas sub Præsidio Weberi Disputationes defendit, unam ex Daniel. IX. de LXX. hebdomadibus, alteram de unione personali pro impetrata prima laurea in Facultate Theologica. Anno M. DC. XLV. D. Webero suo Præceptor & Hospiti Wratislaviam ad Ephoriam vocato comes itineris fuit: in qua urbe subsistens cum Jesuitis nonnullis in arenam disputationum de Religione descendit, fructum ex iis haut exiguum referens. Idem Annus erat, quo Theologi ad Colloquium Charitativum a Uladislao IV. Rege Poloniæ convocati Thorunii in Prussia conveniebant. Cui, ut interesset Noster, illuc profectus est, eoque durante summo Theologo D. Johanni Hulfemanno innotuit, ac familiaris carusque fuit. Eodem dissoluto nobilissimum emporium Dantiscum, & cæteras Prusiæ urbes præcipuas vidit. Inde ad D. Weberum, quem adeo amabat, Wratislaviam rediit. Quanquam vero Spes erat in Silesia officium ecclesiasticum consequendi, immo ex Hungaria Pastoratus Caschavienensis ipsi offerebatur, Patri tamen in Saxoniam revocanti obsecutus, Lipsiam per Silesiam & Lusatiã An. XLVI. die XXIV. Octobr. reversus est. Hic studia Theologica continuans Disputationem de Communionem sub una contra Julii Cæsaris Coturii Jesuitæ Wratislaviensis Demonstrationes Catholicas fecit, & sub umbone D. Hulfemanni An. XLVII. die XXVI. Martii publico examini exposuit, quam & adversario transmisit, nihil autem responsi ab eo accepit. Anno eodem Rectoratum Gymnasii Cathedralis Martisburgensis sibi oblatum suadentibus D. Hulfemanno, Christiano Langio, D. Romano Telleri Hospite suo suscepit. Inter gratulantes D. Gottfried Cundisius Professor Theologus Jenensis scribebat: Laudo tuam modestiam, quæ hinc elucescit, quod officium Scholasticum non detrectasti, quod suo loco satis honorificum est. Erit tempus, quo Patronus summus dicet; Amice, ascende superius. Cui muneri, quanta sedulitate, dexteritateque viginti annis præfuerit, testes sunt tot Doctores, totq; viri in officiis publicis cõstituti, qui ex eo ludo, velut ex equo Trojano milites prodierunt. Anno LIX. die VII. Julii Licentiati titulum dedit Facultas Theologica, postquam contra Jesuitam Marcellium disputasset. Theologiæ Professor vocatus Anno LXVIII. circa festum Paschatos cum familia sua huc venit: In lectionibus publicis difficiliora loca Pentateuchi enodavit, & cum Professor Theologiæ Primarius esset, Locos Theologicos tractavit, in privatis tam disputando quam legendo, Libros Symbolicos & Compendium Hutteri Studiosis commendavit. Libros Rector adhuc Gymnasii edidit Crusi Grammaticam Græcam auctam, ter excusam, Tractatum de Oraculorum Ethnicorum origine & propagatione, in cujus quarta editione Antonium van Dale ita refutavit, ut apud Gallos laudem amplam reportaverit. Videatur Journal des Scavans anno LXXXVI. pag. 257. seqq. Professor Theologiæ scripsit vindicias Hutteri contra Wendelinum, multasque disputationes, quæ uno volumine Anno XCIV. comprehensæ prodierunt. Anno LXXXI. Librum Cantionum Ecclesiasticarum in hac urbe impressarum præfatione & annotationibus dilucidavit. Anno LXXXII. Canones Theologicos in XVI. Disputationes digessit, quorum altera editio Theologia Canonica inscribitur. Inter Manuscripta Novum Chronicon Martisburgense & Explicatio Augustanæ Confessionis asservantur. Anno M. DC. LXVIII. die XVI. Septemb. Canonicus Cizensis eligebatur, die 1. Octobr. Doctoris Theologi insignia accipiebat: Anno LXX. defuncto Kromayero ad Canonicatum Misnensem, & Decemviratum Academiae ascendebat: Anno LXXVII. Ephoria Stipendiatorum Electoralium ipsi committebatur. Decanatum Facultatis suæ prima vice Anno LXXI. altera an. LXXIII. tertia an. LXXVII. quarta anno LXXXI. quinta an. LXXXIV. sexta an. LXXXVIII. septima an. XCIII. gessit. Conjugem Martisburgi anno M. DC. XLVIII. die XXV. Januarii sibi adjunxit virginem præstantissimam Christianam, D. Georgii Berlichii, S. Theologiæ Doctoris, Episcopatus Martisburgensis Superintendentis, Cathedralis Ecclesiæ Canonici & Scholastici, & ad S. Sixti Decani filiam. Amorem & fidem conjugalem, per XLIV. annos marito exhibitam, cujus in senectute oculorum usu orbati, oculus & manus erat, memoria tenemus, posteris Programme in Exequiis ejus Anno XCII. die III. Aprilis descripsimus. In eodem natos ex ea liberos recensuimus, primo Godofredum, Medicinæ Candidatum; secundo Concordiam, anno XCI. denatam Virginem; Tertio Mariam, L. Antonii Guntheri Heshusii, Organi Aristotelici Professoris Publici, Majoris P. P. Collegi Collegiati, & Academiae Decemviri conjugem, exque hac progenitas duas neptes Mariam Christinam & Elisabetham Sophiam, & unicum nepotem Johannem Georgium, ex his autem solam primogenitam viventem Virginem tunc florentissimam, nunc ab anno XCII. Polycarpi Heylandi, hæreditarii in Schleusig, & Senatoris in hac urbe conjugem, quæ Avo suo tres pronepotes, Polycarpum, Jacobum, Enochum, Antonium Augustum, & proneptem sibi cognominem obtulit: Quarto Christinam, ante D. Tobia Moebii, in Curia provinciali suprema Advocati ordi-

70 7005 71 (X1783255)

ordinarii, jam L. Joh. Cybriani, Professoris Physici Publ. & in Maj. P. P. Collegio Collegiati uxorem, insuper ex prioriconjugio nepotem Tobiam, sed post Patrem vita exeuntem, & neptem Sophiam Christianam Virginem ornatissimam, deinde an. XCIII. matrimoniali vinculo Christiano Sigismundo Schachero J. U. D. & Advocato sociatam. Ante sesquiannum fere persuasus e re sua esse habere uxorem, Virginem Sibyllam, Susannam nobili stemmate, Patre Hans Albrechto a Köttschen natam duxit; gemellos, quos illa ei peperit, post baptismum susceptum mox mors abstulit. Virtutes aliis Christianis communes laudare quid attinet, cum a Theologo abesse minime omnium oporteat? Singularis in eo observatus est affectus erga pauperes, tum Studiosos, quibus Stipendia procuravit, & ipse largitus est, tum alios, qui in patria Lauchæ quotannis elemosynis legatis fruuntur. Exitus vitæ hic fuit. Mense Majo tumor pedem sinistrum cum dolore ac æstu quodam incesit, paulo post cessavit. Ante septimanas quatuor idem in pede utroque se exeruit: cibum potumque ægrotus averfabatur, & non per noctem solum, verum etiam plurima diei parte dormiebat. Tumor medicamentis cedebat, somnolentia contra increcebat. Finem ergo vitæ præsentens Plurimum Reverendum L. Thomam Ittigium die XX. Novembris arcesendum curavit, a quo impetrata peccatorum venia, salutare viaticum accepit. Idem postea sapius rediens, Oracula divina infirmo suggerebat, quæ e somno subinde evigilans bene intelligebat, ac ut beata mortis hora mox adesset, Deum rogabat. Veni Jesu, veni frequens in ore erat votum. Aderant uxor liberique sua ministeria præstantes, precesque prælegendo canendoque fidem ejus corroborabant. Egit multas liberis gratias pro amore ac opera, gratiamque divinam apprecatus iisdem valedixit. Ubi facultas loquendi defecisset, nutu capitis, manibusque elevatis, quæ dicerentur solatia, se percipere indicavit. Tandem in somno isto suo profundissimo spirare inter preces Liberorum aliorumque adstantium Dominica I. Adventus, die XXVIII. Novembr. hora VIII. vesperi placide desit spirare, ut vix observaretur. Venit ergo invocatus ab ipso Jesus, ut ea hora, qua ante annos LXXXI. minus septimanis III. in hunc mundum venientem susceperat, in Hierosolyma caelestia secum abduceret. Ibi nunc anima cum eodem Christo Jesu est, læta ovat & triumphat. Idem Corpus in illo ad Judicium adventu ad gaudiorum æternorum consortium suscitabit. Reponamus ergo in suum dormitorium frequenti deductione, honorem tributuri Theologo nostro veterano bene meritum, simulque solatio familiam mæstam plurimum erecturi. P. D. die III. Decembr.

Anno Christiano M. DC. XCVII.



1017  
Pou. dig.

F. R 62

32

Zc  
7005

# RECTOR

UNIVERSITATIS

FUNDATIONIS

# GEO MORPHICAE

S. S. Theologiae Doctoris,  
Senioris & Professoris Publici  
dralis Ecclesiae Misnenensis  
Alumnorum Electoralium  
cenviri, & nunc Praeceptor  
Theologiae

*Hodie III. Decembr. MDCCLXXII.*

Solenni more

indic



X. 3r.

